

Xe. 100.

DE ATRA BILE
disputatio Adedica: in gym-
nasio Lipsensi ce-
lebrata.

per Dominum Doctorem
Martinum Drem-
beck.

Anno AD. D. XLVIII.
Adense Septem-
bri.

Respondente Magistro Blasio
Thammullero, Medicinæ
Bacculaureo.



Martinus Drembeck: art. et Medicinae Doctor: Lectori S.

Quandoquidem publica eaq; celebri Collegij nostri Medici consuetudine hactenus usurpatum est, ut certis temporum interuallis, de eiusmodi rebus, quæ merito in medicam considerationem uenire possent, à Medicis, haud præter commodum suorum in primis scholarium, ex ordine ac publicè disputetur. Quia in re ordine sic exigente, sperauit me quoq; rem non omnino ingratam & Medicinæ studiosis, & reliquis Philosophis facturum esse, si ea, quæ de ATRABILE à maioribus nostris fusius sunt tradita atq; præcepta, in pauculas aliquot conclusiones, iuxta positis problematibus breuius redigerem, atq; clarissimis Medicis philosophisq; placide discutienda proponerem. Præcipue uero eò nomine id feci quoq; lubentius, quod hoc ipsum argumentum, alias per se quidem & graue & obscurum, putarem à Medicis nostris, uiris sane longe grauissimis, doctissimis, nostriq; studiosissimis, inter cætera quoq; comprobaturum iri. Præterq; quod res ipsa, qua de sermo nobis erit, & necessaria, & utilis, & iucunda sit cognitu futura, tam apud bonarum artiū, q; Medicinæ studiosos, quibus tum in primis hac in acceleratione nos gratificatueros sperabamus. Quare quemq; candidum lectorem, etiam æquum nobis iudicem fore spes est, & candidè de uoluntate nostra iudicaturū, non diffidimus.

Lipsiae Anno Virginei partus M. D. XLVIII, Mensē Septembri.

Quaestio.

Melancholicus humor, fex seu cenum sanguinis, qui in corpore quantumvis sano, de necessitate procreatur,
V Quandoq; in homine, ita assatus adustusq; deprehendatur, ut eum inde morbum efficiat, qui etiam absq; febre, mentem infestet, timorem & mœsticiam pariat.

Conclusio I.

Quia corpus humanum ex quatuor constat humoribus, sanguine, pituita & utraq; bile, à quibus tum uel dolet, uel bene se habet, ob id, de altera bile, Hippocraticè hic disquirere uisum est.

II

Est igitur illa ipsa bilis atra duplex, uel naturalis, sanguinis scilicet sedimentum, similem cum fecibus in uno, cum amurca in oleo, generationem habens, uel non naturalis, quæ solum in corpore contra naturæ modum affecto, dominium gerit.

III

Commune tamen id habent utræq; inditum, cum alijs humoribus uno excepto saudine, quod non concrescant. Causatur uero naturalis à iecoris calore temperato, innaturalis à caliditate excessiva.

IV

Hinc atrabilarij facile efficiuntur hi, quibus temperatura calidior sicciorq; est. Præsertim si accedit calidius ac siccus tempus, Regio, Constitutio, Exercitium cum labore, Curæ, Vigiliae, Cibi deniq; crassi sicissimiq;.

V

Rufus naturalis, qui sanguis alias feculentus appellatur, sanguinem nigrostat, membra Melancholica, ut Lienem, nutrit, desiderium cibi excitat, Ventriculiq; vim retentricem roborat.

A ij Temperatura

VI

Temperatura itaq; eius, quia naturaliter frigida & sicca est, ob id, corpora Melancholicorum redduntur graciliora, Venæq; illorum flaccescunt ac tenues sunt, unde tum sectionem uenæ ægrius perferunt.

VII

Non tamen absq; causa crasso atq; atro eiusmodi succo grauati, missione sanguinis opportuna uacuantur.

VIII

Corporis uero color illorum fuscior est qui bilem talem aggerere natura sunt apti.

IX

Quare molles, candidi, adhæc obæsi, uel nunquam ut Galenus sentit, humore hoc exuberare cernuntur.

X

Qui si claris spiritibus permistus sit, dexteritatem utiq; parit rationis, iudicij, prudentiae ac sapientiae.

XI

De sapore autem illius dissentit princeps Avicenna à Galeno, Ille enim ipsum, medium quoddam inter ponticitatem & dulcedinem obtinere censuit.

XII

Porro quod atra bilis putrescens extra uenas, de quarto in quartum periodum habet, in causa non semper est, quod is humor à tota proprietate talem habeat motum.

XIII

Cæterum qui ex atrabilario succo infestantur lenti sunt ad ridendum, qui uero ex cholera, è contra. Itaq; prudentum & sapientum hominum rarior est risus.

XIII

Vitia autem, quæ secum fert Melancholia inter alia hæc sunt, quod alius

alius testam se esse putat, alias gallum, alias dum pugillum clausum tenet,
persuasum sibi habet, se maximum continere thesaurum, Alij nolunt
spectari, ne fascinentur, quidam nec caput ullum habere arbitrantur, Sic ut
horreant aliquando non horrenda.

XV

Etsi causas eiusmodi accidentium quorundam, explicare quibusdam
difficile esse non censeatur, Tamen omnium quae cuiq; contingunt nemo
rité potest rationes adferre.

XVI

Sed talis humor, per omnes eius species, commune id habet, ut tristes
præter rationem cum timore homines reddat.

XVII

Amplius, si ad cerebrum flatus eius peruererit, ut in hypochondriaca,
non modo concoctionem uentriculi uiciaram prænunciat, Verum etiam
spiritum cerebri obtusum arguit, ut in quibusdam modó imaginatio, modó
ratiocinatio, modó uero memoria perturbata, In quibusdam autem, uel hæc
omnia simul, uel horum quædam cernantur.

XVIII

Nam interdum unam duntaxat imaginationem offendit, arguit satis
Theophili Medici apud Galenum historia. Is enim licet alioqui pruden-
ter differeret & præsentiu quemq; exactè nosceret, tibicines tamen quosdā
in angulo stare falso arbitrans, assidue astantes & quidem frustra acclama-
bat, ut ipsos cubiculo ejacerent. Sed is ubi conualuerat, quicquid singuli
stantes dixissent renarrabat.

XIX

Verum quod Melancholici usq; adeo uarij ac inæquales sint, propter
uim uarietatis Atræ bilis id accedit.

XX

Licet & pie & uerē concedendum apud nos sit, corpora quandoq;
a Dæmonibus affligi, Tamen consimiles dispositiones ab Atræ bilis furore
causari non negandum censemus. Proin

XXI

Proin uniuerso corpore Melancholicum humorem continente, cui
ratio à uenæ sectione si Galeno credimus inchoanda erit.

XXII

Sed ut exulcerationes ab Atra bile ortæ omnes, sunt insanabiles. Sic &
intestinorum difficultates seu disenteriæ teste Hippocrate, Cum ab ipsa
inceperint, curationem non suscipiunt.

XXIII

Hæc enim ipsa tam prava & maligna est, ut si quando uomitu ejiciatur,
eam nec musca, nec quodvis aliud animal gustare dignetur, hinc facile
coniectamus, quamobrem hæmorrhoides aut menses suppressi, tam horren
das concilient ægritudines.

Problemata.

Cur est quod aliqui, hoc malo laborantes, in tantum robur euadunt,
quod quinq; sex, pluribusue robustis aliquādo resistant, aut catenas, quibus
alligabantur disrumpant.

II

An Melancholici magna ex parte morbo comitali rationabiliter
afficiantur?

III

Qui fit, quod quartana diuturnior, quam quotidiana, cum pituita
crassa frigida ac lenta sit, Item Atra bilis copia longe minore, quam pituita
in corpore humano contineatur.

IV

An pituita in tantum assari possit ut nigra in totum euadat?

V

Cur humore Melancholico, Idem caput infestante, non idem semper
sequitur effectus, quia nunc Melancholica insania, Nunc uero morbus
comitalis ipsam concomitatur.

Melanchol



VII

Melancholici cur plurimos appetunt cibos. Et quidam ex his uinum
hauriunt uberius, unde tum tristantes, s̄epius, conditionem calamitosam
mortalium deplorant.

VIII

Cur bilis atra, auaros, tristes, perfidos, subdolos, inuidiosos atq; pufile
lanimos reddit.

VIII

Nunquid Melancholici diuinando præstent cæteris?

IX

An splen quod Aristoteli sinistrum iecur dicitur, absq; uitæ periculo
homini possit adimi?

X

Cur homines qui uel in philosophiæ studijs uel in alijs
rebus magnis administrandis claruerunt,
Melancholicos fuisse uie
demus?

Gloria Christo.

IV

Et quod non est in te non potest esse in te.

VII

Quodcumque dicitur in te non potest esse in te.

XII

Non potest enim in te esse quod non est in te.

X

Cum pertinet ad te non potest esse in te.

Ubi ergo sunt scripturae quae dicuntur

Misericordia tua in te.

affidit corde



Ma 4905

f



TA → 0L

nur 1. Stck fertig bearb.

Ma





Farbkarte #13

B.I.G.



DE ATRA BILE
disputatio **M**edica: in gym-
nasio **L**ipsensi ce-
lebrata.

Per Dominum Doctorem
Martinum **D**rem-
beck.

Anno **M. D. XLVIII.**
Adense Septem-
bri.

Respondente Magistro Blasio
Thammullero, Medicinae
Baccalaureo.